

IN LIBROS SIMO- NIS IACOBI COBURGENSIS MA-

thematici & Ciuis Francofurdienſis, Elegia M.
Ioan. Vl. Strupp̃ii Gelhufani.

T*Eutonicas inter gentes eſt gloria Francis
Ingenio claros ſæpe dediffe viros:
Artibus ingenuis, magnum quibus addere lumen,
Aſtrorum & ſtudiis, cura laborq̃, fuit.
Kœnigsberga ſuo ſemper clarebit alumno
Regimontani dum modo ſcripta manent.
Vrbem Caroleam Schœnerus, Paulus Eberus
Kitthingam potuit nobilitare ſuam.
Innumeros taceo, quorum monumenta neceſſe eſt
Aeternum genti conciliare decus.
Hunc vnum claris lubet hic nunc addere Francis,
Koburgi tellus quem generoſa tulit.
Indole magnus erat Simon, quem dico, Iacobus,
Doctrina pollens artibus atque bonis.
Namque Mathematicis hauſit de fontibus omnem
Traetandi numeros quam docet ipſe viam.
Nec vulgata modo repetit præcepta, ſed addit
Artifices ſummos quæ latuiſſe patet.
Inde Geometer excellens ad ſydera ſcandit,
Ipſa quoque ingenio ſubiicit aſtra ſuo.
Tum, quæ multa ſolent vni contingere raro,
Mirificè nôrat pingere docta manus.
Attamen vt Phœbi radius tegit aſtra diurnus,
Haud ſecus hic pietas extulit vna caput.*

B

Tanto